Σὺν Θεῷ

DISPUTATIO POLITICA

De

ELECTIONE,

Quam

Permiſſu Ampliſsimæ Facultatis Philoſophicæ

PRÆSIDE

M. SEVERO CHRISTO-PHORO OLPIO ISENACENSI,

Publicè ventilandam proponit

RUDOLPHUS HEINRICUS Ziegler.

Autor-Reſpondens.

Ad d. Auguſti.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

JENÆ

LITERIS JOHANNIS NISII,

ANNO M DC LIII.

SERENISSIMI ET CELSISSIMI
PRINCIPIS AC DOMINI

DN. ERNESTI,

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
AC MONTIUM, LANDGRAVII THURINGIÆ, MARCHIONIS MISNIÆ, COMITIS IN
MARCA ET RAVENSPURGO, DYNASTÆ IN
RAVENSTEIN,

PRINCIPIS AC DOMINI SUI CLEMENTISSIMI

FILIO NATU MAXIMO,

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. JOHANNI ERNESTO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ
ET MONTIUM, &c.

PRINCIPI ITIDEM AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

Primitias haſce ſuas Academicas
In animi ut Subjectiſſimi, ita
devotiſſimi teſſeram
humillimè
ad pedes ponit & conſecrat

RUDOLPH. HEINR. Ziegler.

Auſpice Chriſto!

PRÆLOQUIUM.

Difficultate plenum opus eſt fidum Reipublicæ præficere Regem: Priſci illum ſibi conſtituebant Regem, quem ex tota Republica prudentiſſimum & juſtiſſimum judicabant: Procedente poſtmodum tempore poteſtas filiis Regum mandari cœpta eſt, de quibus ſpes eſſet in virtutes & præclara Patrum facinora ſucceſſuros. Et id quidem apud multas hodiè gentes moribus & conſvetudine receptum eſt; ut filii Regum Patribus in imperium ſuccedant. Nonnulli quoq̀ue populi Reges omnium ordinum voluntate eligunt: ELECTIONIS autem nomine ad imperium pervenire laudatiſſimum habetur; per eam enim optimi aptiſſimiq̀ue capi poſſunt & ætate adhuc integrâ, qui cum

potentiæ innutriti non fuerint, moderatiùs agunt, non ſuperbiunt & cum ad filios, niſi novâ electione, transmittere imperium non poſſint, ſubditorum favori conciliando ſtudent, non eos opprimunt: Et de hac ELECTIONE in præſenti agemus.

Theſis I.

ELECTIO vi nominis denotat unius vel plurium ab aliis ſeparationem, quâ unus alteri præfertur, vel præ alio ad finem deſtinatur, hinc audito hoc, *aliquem eſſe electum* ratio noſtra *duo* concipit, videlicet deſtinationem ad finem, & reſpectum ad ea, è quibus fit electio: prudentiores enim in electione, de quâ nobis eſt ſermo, collatis inter ſe conſiliis optimum circumſpiciunt ex plurimis. Miſſis ac dimiſſis variis hujus vocis ſignificationibus partim in Theologico, partim in Philoſophico foro uſitatis, nos ELECTIONEM ſumimus pro modo, per quem magiſtratus præmiſſis ſuffragiis conſtituitur ejusque fidei ſumma rerum committitur.

Theſ. II.

Inde ELECTIO ab Autoribus dicitur CONSTITUTIO MAGISTRATUS ORDINARIA, QUA ALIQUIS à PERSONIS JUS ELIGENDI HABENTIBUS PER SUFFRAGIA MAGISTRATUS CONSTITUITUR, vel ut *Lipſius L. II. civil. doctrin. c. 4.* ELECTIO EST, CUM SPRETO NATALIUM JURE SUFFRAGIIS PRINCEPS DESIGNATUR.

Theſ. III.

TRIA hic potiſſimùm conſideranda veniunt. I. PERSONÆ, PENES QUAS EST POTESTAS ELIGENDI, II. MODUS ELIGENDI, III. IPSA PERSONA ELIGENDA: PERSONÆ ab initio in imperio conſtituendo fuerunt TOTUS POPULUS; *Reges primùm à populis electi ſunt*, inquit, *Herodot. l. 1.* æquum enim eſt, ut penes populum ſit poteſtas

eli-

eligendi eum, cujus imperata ſequi debet & hanc ipſa *natura ſva-ſit*, *lex ſcripta* inculcat, *conſvetudo in Republica recepta* injungit, cauſæ enim, ait *Grot. L. 1. de jur. bell. & pac. c. 3. n. 8.* cur populus *totum jus imperandi* à ſe abdicet aliique tradat, ſunt, vel quia in periculum vitæ adductus, alia lege quâ ſe defendat, reperire non poteſt, aut quia inopiâ preſſus aliter habere non poteſt copiam, unde ſe ſuſtentet. Hinc, ſicut *Ariſt. Lib. I. Polit. c. 3.* dixit quoſdam eſſe ſtupidi ingenii & natura ad ſerviendum aptos; ita & populi quidam eo ſunt ingenio, ut regi, quàm regere nôrint rectiùs, quod de ſe ſenſiſſe Cappadoces videntur, qui oblatæ à Romanis libertati vitam ſub Rege prætulerunt negantes vivere ſe poſſe ſine Rege.

Theſ. IV.

Dixi: *totum jus imperandi;* quia fuerunt populi, qui ſibi Regem vel Principem ex nobilitate elegerunt & ſub ejus vixerunt imperio non tamen abſoluto, ſed ita, ut majeſtas penes populum maneret, id quod patet ex *Tacito* dicente. *Regem in concilio audiri autoritate ſuadendi magis, quàm imperandi. de mor. Germ.* Apud Ethnicos *ex lege ſcripta* Reges à populo fuerunt conſtituti *Steph. Jun. Brut. in vind. contra Tyrann. quæſt. 3.* quam eligendi legem tàm rigidè obſervârunt populi in Inſula Taprobana, ut ſenem proptereà eligerent liberos non habentem, aut ſi poſt contigiſſet, ut liberos ſuſciperet, abdicarent, ne quo caſu hæreditarium fieret regnum. *Ex conſuetudine in Republica recepta* vel *lege ſcripta* Ungari contra Ferdin. Auſtrium, qui jus ſucceſſionis in regnum prætendebat, tàm vehementer urſerunt, ut Turcicæ perfidiæ ſe committere, quàm ſceptris hæreditariis eum potiri maluerint. Nec hoc alienum eſt à jure divino, quod populus habeat poteſtatem eligendi. Deus enim populum Iſraeliticum ita alloquitur *Deut. XVIII. v. 15. eum conſtitues Regem, quem Dominus tuus elegerit 1. Samuel. VIII. v. 19.* dicit populus ad Samuelem: *Rex erit ſuper nos.*

Theſ. V.

Sciendum autem hîc eſt, quod Electio non ſemper fiat Expresse, ſed interdum Tacite, quando Proceres & Seniores nomine totius populi eligunt & ſecundum leges regni & conſuetudinem loci ſummum Regem conſtituunt & deſignant, eique regni curam atque adminiſtrationem ad præſcriptum pietatis & juſtitiæ

inſtituendam certis conditionibus offerunt ac demandant, quicquid autem illi agunt; id totus populus egiſſe recte dicitur. Sic 1. *Sam.VIII.v.4.* ſeniores ex tribubus Iſraeliticis venientes ad Samuelem expoſcunt Regem, quæ poſtulatio Regis toti populo *v.7.* tribuitur.

Theſ. VI.

Diximus *in §. 3.* quod populus eligat aliquem Principem, *quando in periculum vitæ adductus eſt:* hoc ipſo innuimus, penes populum & jus fuiſſe exercitus præfectum conſtituere vel belli Ducem. Ariſt. *L.V. Polit. c.5.* refert antiquitus eundem populi eundemque exercitus Ducem fuiſſe (ὁ αὐτὸς δημαγωγὸς καὶ στρατηγός idem eſt Demagogus & Imperator.) Verum plerique populi ejusmodi communem magiſtratum pacis tempore & ſimul perpetuum quaſi belli Ducem (uti de Lacedæmonum Regibus loquitur *Ariſt. III. Polit. c 14.*) non habuerunt, ſed bellum ſuſcepturi neceſſe habuerunt unum aliquem reſpectu habito ad bellicam virtutem eligere totique exercitui præficere. Tacitus exemplum ſuppeditat *L. IV. Hiſtor. c. 15.* in Brinione Canineſate, cum enim Civilis Batavus rebellionem in Romanos Batavis ſuis perſvaſiſſet, tractis in belli ſocietatem Caninefatibus ac Friſiis Brinio, *ſtolidæ audaciæ Canineſas, claritate natalium inſignis, cujus pater multa hoſtilia auſus Cajanarum expeditionum ludibrium impunè ſpreverat, igitur ipſe rebellis familiæ nomine placuit, impoſitusq; ſcuto more gentis & ſuſtinentium humeris vibratus Dux deligitur totius ſcilicet exercitus, qui ex Batavis Caninefatibus ac Friſiis conſtabat. Hæc ex Tacito adducit Nobiliſ. & Excellentiſ. Dn. D. Hermannus Conringius in diſput. de Ducibus & Comit. Imperii German. §.4.*

Theſ. VII.

Potestatem Eligendi, Quam Populus Primitus Habuit, Milites Diversis Temporibus Sibi Arrogârunt, ceu legere eſt apud antiquitatis Secretarios. A Neronis enim tempore eò res redacta fuit Romana,ut inſuper habitâ Senatus & populi auctoritate in manu ac poteſtate exercitus & legionum Romanarum eſſet Principem creare. L. Septimius Severus in Pannonia à militibus, quibus præerat,electus eſt. Opilius Macrinus, homo obſcuri generis in Sy-

In Syria ab exercitu ſalutatus Imperator eſt. Valentinianus ex re-ſtione factus eſt Imperator à militibus lectus. Julianus, qui fuit ultimus Imperatorum Ethnicorum, mortuis ſine prole Conſtantini liberis Imperator ab exercitu Pariſiis ſalutatur. Jovinianus bonus Princeps, excelſo animo militum amore ad imperium rapitur. Vibius ſuffragio militum Imperator ſalutatur. Probus verè probus ex familia Julia natus militaribus ſuffragiis ad Principatum invitus extollitur. Heliogabalus aſtu & conſilio matris Imperator à militibus creatur. Æmilianus à militibus pecuniâ corruptis eligitur. Gallienus Valeriani filius, cum voluptatibus tantùm ac libidini, neglectâ imperii cura, totũ ſe dederet, in contemptum omnium ac odium venit, eâ autem inuſitata Principis ſocordia factum eſt, ut triginta Duces à ſuis exercitibus Imperatores electi ſint, qui in Annalibus triginta Tyranni vocantur, fuerunt autem. Cyriades, Poſthumius, Poſthumius junior, Lollianus, Victorinus, Victorinus junior, Marius, Ingenuus, Regellianus, Aureolus, Macrianus, Macrianus junior, Quietus, Odenatus, Herodes, Mæonius, Baliſta, Valens, Valens ſuperior, Piſo, Æmylianus, Saturninus, Tetricus ſenior, Tetricus junior, Trebellianus, Herennianus, Timolaus, Celſus, Zenobia, Victoria, Titus, de ſingulorum initiis ac exitu verba facit Trebellius Pollio, quemadmodum *Marc. Zuer. Boxhorn in Hiſt. Univerſ. adducit p. 233.* præter triginta hoſce duos adjungit alios *idem citatus autor*, Titum videlicet & Cenſorinum. *Conſulat. Breviar. Hiſtor. Joh. Conr. Dieterici, Beſold. Synopſ. rerum ab orbe conditarum & Cluver. Epit. Hiſtor.*

Theſ. VIII.

Antiquis Germaniæ temporibus non tantùm bellicus magiſtratus à Populo Germanico conſtitutus fuit, ſed etiã ex nobilitate electi ſunt, qui jura per pagos vicosque redderent & ſalutati ſunt Comites nomine in Imperio Romano poſt Conſtantinum uſitato. à *Jul. Cæſ. & Cornel. Tacito* Principes vocantur. Ab illo in *Lib. VI. de bello Gallic.* In pace nullus eſt communis Magiſtratus, ſed Principes regionum atque pagorum inter ſuos jus dicunt controverſiasque minuunt. Ab hoc *in c. 12. de mor. Germ.* quando ſcribit. Eliguntur in iisdem conciliis & Principes qui jura per pagos vicosque reddunt & *cap 11.* De minoribus rebus Principes conſultant,

tant, de majoribus omnes ita tamen, ut ea quoque quorum penes plebem arbitrium eſt, apud Principes prætractentur. c. 13. ſimiliter de iisdem dicit: inſignis nobilitas aut magna Patrum merita Principis dignationem & adoleſcentulis adſignant. Creſcentibus autem illis Comitibus, potentia ſimul crevit, hinc inſignis mutatio quoad populi jura ſucceſſu temporis facta eſt, imò poteſtas populi paulatim translata eſt in Comites & Provinciarum Proceres ita quidem, ut licet totus populus ad curam Reipublicæ admiſſus fuerit atque jus ſuffragii habuerit, plus tamen autoritatis Comitibus ſ. Principibus tributum ſit.

Theſ. IX.

Porrò notabilis quoque mutatio contigit quoad jura Comitum & totius populi, quibus fruebantur reſpectu totius imperii, cum Electio Ad Septem Regni Proceres delata eſt, quamvis ſub initium illius mutationis penes quosdam Primores poteſtas illa fuerit, quæ hodie eſt penes Electores, ſed cum diſcrimine, electio enim Imperatorum ipſis ſolis non competebat, ceu intuenti primam imperii Germanici conſtitutionem ad oculum patet, omnes quippe Principes & populus Imperatorem elegerunt. Carolus Magnus Fratre defuncto conſenſu omnium Francorum Rex conſtituitur. Teſtis eſt *Egmhardus*. Regi Ludovico non erat filius, omnisque populus Francorum atque Saxonum quærebat Ottoni diadema regni imponere. Ipſe verò quaſi jam gravior recuſabat imperii onus, ejus tamen conſultu Conradus quondam Dux Francorum ungitur in Regem. verba ſunt *Witichindi Lib. 1.* de Conrado. Everhardus (Frater Conradi) congregatis Principibus & natu majoribus exercitus Francorum in loco, qui dicitur Fridisleri deſignavit eum Regem coram omni populo Francorum atque Saxonum: Hæc de Henrico idem *Witichind. Lib. 1.* Et de Ottone I. defuncto Patre Patriæ & Regum maximo optimo Henrico omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim deſignatum Regem à Patre filium ejus Ottonem ſibi eligit Regem. Eodem modo electus fuit Otto II. teſte Reginone A. 961. Rex Otto I. in Italiam ire diſponens maximam ſuorum fidelium multitudinem Wormatiæ coadunavit, ubi conſenſu & unanimitate regni Procerum totiusque populi filius ejus Otto Rex eligitur. Sic & Otto II. puer ſepten-

ſeptennis Aquisgrani datus eſt Patri ſucceſſor & filius ejus Otto III. ab omnibus in Dominum eligitur, priusquam verò ad regnum veniret à Willegiſo I. Electore Moguntino educatur vid. *Lehmanni Chron. Spir.* ex quo affert *Conring. in Diſput. de Duc. & Comit. Imperii German.* §. 36.

Theſ. X.

Bellarminus L. III. de translat. Imperii negat à populo factam fuiſſe electionem, dum affirmat, eam non eſſe factam à civitatibus. Verum ex electione Henrici II. conſtat rem aliter ſe habere. Etenim cum is Sigfridum Archiepiſcopum Colonienſem rogaſſet, ut ſe in conſequendo Imperio juvaret, reſpondit ille. *Quo melior & major pars populi ſe inclinaverit, libenter ſe aſſenſurum. Dithmarus Lib. IV.* Hunc populi conſenſum expectavit etiam Lotharius, ut patet ex *Lehmanni Chron. Spir. Lib V. c. 17.* Idem *Bell. loco citato c. 3.* in eo deſudat, ut dicat, Gregorium V. primum autorem fuiſſe Electorum, adductis in eam ſententiam & hiſtoricis & decretis Pontificum *Meibon. in not. ad lib. 3. Monarch. Sleid.* argumenta *Bellarm.* adducit *Conring. in diſput. de Elect.* §. 28. *& ad eadem reſpondet*, quæ videri poteſt.

Theſ. XI.

In principio Imperatores ſucceſſione imperium nacti ad Ottonem tertium Saxonem usq; nunquam interruptam ſuccedendi conſuetudinem produxerunt; Nec impedit, quamplurimos Cæſarum antea violentis militum ſuffragiis vel ſenatus ſtatuumque conſenſu eſſe electos, id enim nonnunquam vi contigit, ſæpius deficientibus legitimis hæredibus; non certe, quia ſuccedere non licebat, ſed quia ſucceſſor deerat: Hinc conſtans per duo ſecula & quod excurrit ab anno videlicet 1250. ad annum circiter 1500. fuit ſententia, quod hujus Ottonis III. tempore jus eligendi ad Senatum ſeptem Electorum pervenerit, ſed qui in dubitationem trahunt, non levibus nituntur fundamentis, de quibus Peucerus, alii; Hoc referunt Hiſtorici, quod, quantum ex veterum ſed obſcurorum admodum monumentorum reliquiis colligere licet, Ottonum temporibus Palatini Saxoniæ, & Rheni Comites ac Principes inſtituti ſint, ſed hæ origines obſcuræ rem haud expeditam multò impeditiorē reddunt. *Dithmarus* de ipſius ſucceſſore Henrico II. apertè affirmat *lib. IV & V.* electio-

 nem

nem à ſolis Septemviris non eſſe factam. Electionem ſubſequentis Imperatoris Conradi II. recenſet *Wippo Cancellarius ejus* hiſce verbis: Conſedêre Principes populus frequentiſſimus adſtabat, Archiepiſcopus Moguntinenſis, cujus ſententia ante alios accipienda fuit, rogatus à populo, quid ſibi videretur abundanti corde, voce hilari laudavit & elegit majoris ætatis Cunonem ſuum in Dominum & Regem atque rectorem & defenſorem patriæ. Hanc ſententiam cœteri Archiepiſcopi & reliqui ſacrorum ordinum viri indubitanter ſequebantur, tunc ſinguli de ſingulis regnis eadem verba electionis ſæpiſſimè repetebant. Fit clamor populi, omnes unanimiter in Regis electione Principibus conſentiebant, in illo perſiſtebant ipſum cunctis dominantibus nihil hęſitando propoſuerunt *vid. Chron. Spir. Lehmanni Lib. V. c. 17. p. 412.*

Theſ. XII.

Imperatorum ſequentium electiones, à quibus factæ ſint, collegit ex ſcriptoribus hiſtoricis *Excellentiſſ. Conring. in diſput. de Elector. §. 26.* Henricus IV. electus eſt ab Epiſcopis & Principibus Germaniæ, referente Abbate Urſpergenſi in Chronico A. 1053. Henricus V. ab omnibus electus eſt, ceu teſtatur idem Autor in Chron. 1106. Lotharius electus fuit ab Archi-Epiſcopis duobus, Epiſcopis octo, Abbatibus multis & eminentioribus aulæ Regalis primatibus, atteſtante continuatore Sigeberti in Chron. Anni 1126. Conradus III. electus eſt à multis Principibus non vocato etiam Saxone & vacante ſede Moguntina, cujus mentionem facit Friſing. lib. 7. c. 22. Fridericus I. ab omnibus totius Germaniæ Principibus electus fuit. idem l. 2. de reb. geſt. Frider. c. 1. Philippum à Suevis, Bavaris, Saxonibus. Ottonem IV. à Colonienſibus Argentinenſibus aliisq; nonnullis electum eſſe, teſtis eſt Abbas Urſpergenſis in Chronico. De Electione verò ipſius Friderici II. ita loquitur idem Urſpergenſis. Anno Domini M CCXX. Otto excommunicatus denunciatur. Tunc Principes Alemanniæ, Rex videlicet Bohemiæ, (qui paulò ante ex Duce aſſumptus fuerat ab Henrico IV. ad regnum) Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Landgrafius Thuringiæ & alii complures convenientes Fridericum Regem Siciliæ elegerũt, cui etiã olim, cum adhuc in cunis eſſet, juraverunt fidelitatem. Cunradus Sue-

vus promiſcuo Principum conſenſu vacua tum temporis ſede Moguntina Saxone etiam & Norico prorſus non vocatis Cœſaream dignitatem obtinuit. *Otto Friſing. l. 7. c. 27.* & Fridericus qui Cunradi imperium excepit, ab omnibus totius Germaniæ Principibus electus eſt. *Otto Friſing. 2. de reb. geſt. Frider. c. 1.* Conradus item Salicus communi Procerum ſuffragio imperium ſuſtinuit *Urſperg. in Chron.* Ann. 1013.

Theſ. XIII.

Quis non ex hiſce colligere poteſt, Septemviros ſolos non elegiſſe Imperatorem usque ad Fridericum II.? hinc valdè conſentaneum eſt, inquit *Boxhorn. in Hiſt. Univerſali p. 572.* ab Othone certum ordinem Electorum fuiſſe conſtitutum, qui deinde certis de cauſis ad certum numerum videlicet ſeptenarium eſt redactus. Hic enim numerus poſt Fridericum II. exprimitur: *Jacobus Lampad. tract. de Rep. Rom. German. c. 4.* de Elect. §. 2. in hæc erumpit: Audebo dicere, ſi quis unquam Imperatorum Septemviros certò definiit, feciſſe id Fridericum II. modo aſſerere liceret, cum hoc pacto Electoribus eligendi poteſtatem feciſſe, ſi nemo ex ſe genitus ſupereſſet. Itaque proclivius dixerim, quod poſt primogeniti Henrici miſerabilem interitum ad Cunradum paternâ potiſſimùm autoritate Imperium devenerit, cui Electores Wormatiæ aſſenſerunt Anno 1235. Qui poſtquam Manfredi nothi fratris ſcelere oppetiiſſet Wilhelmus Hollandiæ Princeps primus, ut opinor, Septemvirorum ſuffragiis Imperator dictus eſt. Trith. in Chron. Ante Friderici vero II. ætatem Septemvirorum non meminiſſe hiſtoricos prodidit *Thuanus 2. hiſt. Conring. in diſput. de Septemv. § 31.* enumeratis variis Scriptorum teſtimoniis, qui vixerunt circa tempora Friderici II. ſubjicit, manifeſtum eſt ex his omnibus aliquam præ cæteris eorum Principum, qui hodiè Electores audiunt, in eligendo poteſtatem fuiſſe, attamen non tantam, quæ reliquos omninò excluderet: poſteà ita concludit: cum Friderico mortuo perturbatiſſimus eſſet Germaniæ ſtatus & interregno multorum annorum Rempubl. ferè nemo curaret, cæteris vel ob imbecillitatem vel ob negligentiam jura ſua non ſatis tuentibus, hos ut potentiores ſibi ſolis hoc ju-

ris ſumſiſſe. Hoc ipſum confirmat Aurea Bulla quando lib. 1. ſtatim ad laudabilem conſuetudinem provocat.

Theſ. XIV.

Conſuetudinem hanc moribus jamtum introductam confirmavit Carolus IV. Cæſar Auguſtus, eruditus, ſapiens, aſtutus, quinque linguarum gnarus, ambitionem ſiquidem & ſimultates Electorum ac Principum ſuſtulit ſanctione illâ, quam Auream Bullam vocat poſteritas, in qua tota eligendi ratio & omnis Electorum poteſtas continetur. Eam approbante frequentiſſimo Procerum Senatu promulgavit Norbergæ, quâ gradus ac poteſtatem Principum aliorumque ordinum ita diſcrevit, ut nullus de jure ſuo poſſit conqueri. Imprimis vetera Cæſarum de eligendo Rege Romanorum placita eum in modum renovavit, ut hodiernum in diem Carolina conſtitutio de mandandis ſuffragiis ſola apud Principes vireat vigeatque. Et ex eo tempore demum Septemviri Electorium titulum ſuo nomini adjecerunt, crevitque illorum dignitas maximè.

Theſ. XV.

Sed & hoc prætermittendum non eſt, Papam Romanum unà cum aliis civibus Romanis olim habuiſſe poteſtatem eligendi Cœſárem, quemadmodum etiam elegit Carolum Magnum & poſt Ottonem Magnum, verùm in electionem Regis Germaniæ nihil unquam habuit juris. Carolus Calvus à Joh. VIII. Pontifice coronam accepit imperii contra Fratrem natu majorem Ludovicum *Diet. Brev. hiſt. p. 131.* Arnulphus Romæ imperiali coronâ inſignitur à Formoſo Pontifice *idem p. 132.*

Theſ. XVI.

Alterum; quod perpendendum venit, eſt Modus Eligendi, Qui Fit Per Suffragia. Dico per Suffragia: non enim defuncti Imperatoris conjunctio, ſed Electorum ſuffragia Imperatores ad imperium provehunt, tum demum autem fit Electio per ſuffragia, quando vel Cœſar moritur (quamvis interdum utilitatis publicæ cauſa viventi ſucceſſor deſtinetur etiam invito *art. 32. Capitul. Div. Matth. Imperatoris*) vel quando aliquis ſua ſponte imperii faſces deponit, ceu Diocletianum feciſſe *Dieter. Breviar. hiſtor. p. m. 93.* perhibet: ille enim depoſitis imperii faſci-

ſci-

ſcibus prætulit vitam privatam imperio in privatis agris & villis contentus otio ruſtico, ejus exemplum ſecutus Maximinianus, qui tradidit faſces imperiales non Maxentio, quem filium habebat, ſed imperii caritatem paterno amori præferens Conſtantio Chloro privignæ ſuæ marito. *Buxtorffius theſ. 10 in diſſert. ad Aur. Bull.* idem narrat de Lothario primo & Carolo V.

Theſ. XVII.

Primis Francorum Regibus conſuetudo fuit, ut in ſcuto ELEVATI populo oſtenderentur & publico applauſu acceptarentur, quemadmodum in caſtris olim Romanos exhibebant Imperatores & quamplurimos Regum ſcuto elevari ſolitos fuiſſe notat *Lipſ. in not. ad lib. IV. Tacit. n. 26.* Gothis idem uſu receptum teſtatur Caſſiodor. & hanc elevationem Electionem vocant, ſicut & *Abbas Swar. Zab. in Ann. 1077.* de Rudolpho Svevo ſcribit. *Rudolphus indigena Sveviæ, quæ Regalibus omninò ſtemmatis aliena eſt, in Regem* ELEVATUR, id quod Gregor. & Aimon exprimunt per hæc verba: IN REGEM ELIGITUR. Arniſ. Relect. Polit. L. II. n. 55.

Theſ. XVIII.

Cæterum SUFFRAGIA vel ſunt LIBERA vel RESTRICTA, inde etiam ELECTIO vel eſt LIBERA vel RESTRICTA: ILLA EST SUFFRAGATIO IN PERSONAM QUAMCUNQUE, QUÆ AD OBTINENDUM MAGISTRATUM VIDETUR ESSE IDONEA, ſive ea ſit ejuſdem ſive diverſæ nationis aut conditionis; per hanc non modò cives, ſed peregrini quoque aſſumuntur, nec ſolùm è Principum & Optimatum ordine, verùm etiam è plebe. Hanc olim Poloni habuerunt, qui Piaſtum ruſticum mortuo Pipiello elegerunt. Bohemi etiam liberam initio regni ſui electionem habuiſſe videntur, qui Primiſlaum etſi non tam libero voto, quàm caſu elegerunt virum anteà ruſticum. Hac libertate uſi ſunt etiam *Carthaginenſes Ariſt. Lib. II. Polit. c. 11.*

Theſ. XIX.

Apud Romanos per SUFFRAGIA LIBERA præcipui Magiſtratus & qui curam Reipublicæ ſuſciperent deligebantur à populo, ſed & majores aliquando per conſilium Senatus non habitâ ratione nobilitatis tantùm generis, ſed præcipuè virtutis, quemadmodum cum CINCINNATUS, abſens in maximo Reipublicæ diſcri-

mine Dictator creatus eſt, de ea dignitate nihil cogitans, in quo teſtis eſt *Liv. lib. 3.* Spes, inquit, unica populi imperii Romani Lucius Quintius trans Tiberim quatuor jugerum colebat agrum, quæ prata Quintia vocantur, ibi à legatis foſſam faciens bipalio innixus, ceu cum araret, operi certè id quod conſtat agreſti intentus ſalute data invicemque reddita, rogatus, (quod bene verteret ipſi reique publicæ) togatus mandata Senatus audiret admiratus rogitansque ſatin ſalva omnia togam properè è tugurio proferre uxorem Raciliam jubet, qua ſimul abſterſo ſudore ac pulvere velatus proceſſit, Dictatorem eum legati ſalutant vid. *Gregor. L. VII. de Republ. c. 16.*

Theſ. XX.

Lydi cum gravi premerentur dominatu atque audiviſſent Cumæ quendam eſſe miſsâ legatione in regnum eum accerſiverunt. Hic in officina fabri plauſtrarii ſervus erat, cui Lydi cum liberationis pretium perſolviſſent eum aſſumſerunt, ut ſcribit *Heraclides in libell. de politiis in Cymenſium politia p. 444.* Athenienſes Phrynichum belli Ducem creaverunt, neque gratia aut favore neque propter generis claritudinem, neq; quod dives locuplesque eſſet; Sæpè enim propter hæc multos mirati ſunt Athenienſes aliisque prætulerunt, ſed cum Pyrrhiciſtis in quadam tragœdia convenientes & bellicos modulos feciſſet, adeò tenuit univerſum theatrum & præſentium animos cepit, ut confeſtim eum ducem eligerent arbitrantes eum bellicis rebus cum utilitate præfuturum eſſe, qui viris armatis non abhorrentia carmina poemataque in Dramate confeciſſet. *Ælianus Lib. III. de varia hiſtoria cap. 8.* Bamba ab aratro ad principatum Leonis ſummi Pontificis beneficio evectus electus in Hiſpanorum Regem, qui Mauros, Hiſpaniæ littora cum claſſe ducentarum navium ingreſſos ingenti prælio fudit claſſemque igni ſuccendit *Ritius Lib. II. Regum Hiſpaniæ.* Alinomus inops & obſcurus homo in horto quodam vivens atque ex eo ſe alens à militibus ad Alexandrum Magnum in obſoleta plagula adductus Rex eſt Paphi deſignatus, ac purpuram induit, ut dicit *Plutarch. orat. 2. de Alexandri fortuna.*

Theſ. XXI

Hæc eligendi libertas non amplius eſt in uſu, hodiè enim

& ad

& ad virtutes & ad familiæ dignitatem & ad generis nobilitatem reſpectus habetur, ita tamen, ut major ad eas animi facultates ingeniiq́ue vires habeatur, quæ primariò ad gubernationis felicitatem requiruntur. Inde Alexander Imperator hanc Regulam reliquit, nimirum ut creationes Magiſtratuum ex commodo Reipublicæ & verâ æſtimatione creandorum fiant, ſive ut *Plato* dicit *L. IV. de Republ.* liberè & incorruptè. Carncovius Lib. de Electione Regis Polonis ſuis tria proponit in omni electione providenda. Primum eſt, ut qui eligunt, eligendi poteſtate utantur ſine ullo metu. Secundum, ut recto judicio, ordine debito & modo legitimo eligant. Tertium, ut cum ſummo Dei timore ad electionem accedant. Fridericus Sapiens Elector Saxoniæ volebat in eligendo Imperatore non habendam eſſe rationem divitiarum aut potentioris familiæ, ſed virtutum ad adminiſtrationem maximè neceſſariarum; quod ſi minus potens eligeretur cum communi auxilio exemplo apum juvandum eſſe *Vernul. in inſtit. Polit. L. I. tit. 7. c. 13.*

Theſ. XXII.

Altera Electio videlicet Restricta eſt, Quando vel Moribus Receptum Est, Ut Fiat Electio Personæ I. Ex Certo Ordine; ſic Carinthii ArchiDucem electuri agricolam eligebant, ceu referente *Petro Gregor. Lib. VII. de Republ. c. 15. n. 16.* Pius Papa in deſcriptione Europæ dicit. 2. Ex Certa Gente Aut Familia, ex qua tantum licebat eligere, ſic in regno Iſraelitico alienigena vel peregrinus ab ipſo Deo prohibitus fuit eligi *Deut. XVII. v. 15.* & in Romano Imperio conſtitutum eſt à Carolo IV. Imperatore in Aur. Bull. ne ad Imperii faſtigium alius evehatur ab Electoribus, quàm is, qui ſe ex Germano ſanguine ſatum dicere poſſit, quam conſtitutionem urget apud Sleidanum Elector Moguntinus Albertus, unde in hiſtoria de electione & coronatione Caroli V. *Lib. 1 com. ſub. ann. 1519.* diſſuadens coëlectoribus electionem Franciſci I. Regis Gallorum vehementiſſimè Imperium Romanum ambientis inter cætera hæc adducit. De Gallo arbitror non impediri noſtris legibus & jurejurando. Eſt enim diſertè conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi Imperium commendemus, ne hoc tantùm decus ad exteras nationes transferatur. Etſi enim nihil de arcendis exteris Aureæ Bullæ conſtitu-

tio

tio loquatur, antiquiſſimæ tamen illius legis autoritas à Moguntino Electore fuit adducta & pervetuſta Germaniæ conſuetudo. Huc usque enim nemini exteræ nationis ad imperialem dignitatem aſcendere licuit in Imperio Germano, cum tanto tempore omnes Imperatores fuerint Germani. Quo ipſo etiam videtur proſcriptum, ut omnes deinceps debeant eſſe Germani. *Hæc ex cit. l. adfert Arum. diſcurſ. Academ. de jure publ. XVI. §. 18.*

Theſ. XXIII.

Non eſt ergò communis opinio, veluti ſcribit *Petrus Gregor. Lib. VII. de Republ. cap. 15.* Imperatorum Romanorum non poſſe eligi niſi Germanum & ex Germanis ortum, nec ab aliis eligendum, quàm à Germanis, ſed peculiaris conſtitutio. Ægrè etiam ferunt Germani, ſi Galli Principes dicantur eligibiles ad imperium, jus enim electionis non eſt reſiduum Gallis in Electore Trevirenſi, quod ſit Cancellarius magnus Galliæ, electionis enim jus ab officio ArchiCancellarii longiſſimè eſt diverſum. Huic conſtitutioni contrariam conſuetudinem apud Polonos eſſe ſtatuit *Bodin. Lib. VI. de Republ. c. 2.* quod non niſi peregrinos Regno præficiant, ſed *Beſold. in Lib. II. diſſertat. 1. de ſucceſſ. regn. num. 7.* eundem refutat, contraria exempla adducendo.

Theſ. XXIV.

Suffragiorum ratio ſorti quidem eſt anteferenda, cum in hac eventus ſit, non judicium, interdum tamen Electione per ſortem uti nihil vetat, tùm nimirum, ubi nec ratio nec conſilium adhiberi poteſt vel duo pluresve in electione concurrunt virtute aliisq; requiſitis pares, ne alteruter ex cõtemptu videatur rejici, quo caſu non mali aliquid ſors eſt, ſed divinam dubitantibus hominibus voluntatem demonſtrat. Variis quidem modis ſors apud varias gentes inſtituta fuit. Apud Auruncanos ſortem bajulationi ligni alicujus craſſi committunt, qui enim illud diutiſſimè bajulat, nec ſuccumbit, regendi oneri par futurus putatur. Primiſlaus Bohemiæ Rex ex ruſtico factus eſt *teſte Ænea Sylvio in hiſtor. Bohem.* cum ſors ea poſita eſſet, ut is Rex eſſet apud quem in menſa ferrea cibum ſumentem Libuſſæ Reginæ equus conſtitutus eſſet; ſtetit autem apud eum ſupra aratrum ſumentem cibum in agris repertum.

Th. XXV.

Theſ. XXV.

Apud Archivos Ægon creatus eſt, cum in ejus domum Aquila ſeſe demiſiſſet. Curſui ſors commiſſa eſt in electione Regis Elidis, cum Eudymion Pater cum ex filiis futurum Regem vellet, qui in Olympicis curſu viciſſet *teſte Pauſania Lib. III.* Septem Perſarum Magi teſte *Juſtin. L. 1.* tali ſorti commiſerunt, ut cujus equus ante Solis ortum hinnitum primus edidiſſet, is Rex eſſet. Convenerunt autem, ut ſub ortu Solis, conſcenſis equis, dum in ſuburbanis vectarentur cujus equus vocem primus edidiſſet, is regnum Cambyſis obtineret, cecidit autem ſors ſuper Darium Hiſtaspidis filium auxilio & arte Oebaris ſui equiſonis, qui, ubi nox advenit, unam equarum, quam equus Darii maximè adamabat in ſuburbana adduxit, ibique alligavit, tùm equum Darii eò adductum cum circumactum equæ admovit & admiſit. Sicque poſtero die, ubi dies illuxit ſex Perſæ ex convento adſuerunt equo inſidentes. Et cum in ſuburbanis ultrò citroque vectarentur ubi ad locum pervenerunt, ubi ſuperiore nocte equa fuerat alligata, ibi Darii equus accurrens hinnitum edidit & hinnitu edito protinus fulgur ſereno cœlo tonitruque extitit & cæteri ex equis deſilientes ut Regem Darium adorârunt. Idem *Lib. XI. habet de Godio Phrygum Rege*, qui in Regem ſalutatus eſt, cum primus plauſtro in templum Jovis contendens repertus eſſet. & *Lib. XIII.* recenſetur Triumviros illos Auguſtum, Lepidum & Antonium ſorte regna & provincias diſtribuiſſe. Saturni filios, Jovem, Neptunum & Plutonem ita ſorte imperium diviſiſſe, ut Jovi cœlum, Neptuno mare, Plutoni infernus obtigerit, ex *Homer. Iliad. 15.* conſtat.

Theſ. XXVI.

Supereſt, ut de TERTIO aliquid addamus, videlicet DE PERSONA ELIGENDA; ubi probè diſpiciant eligentes, quam rerum gubernationi præficiant, ſiquidem ab ea prava pleraque aut recta non ſecus atque à ſole in ſubjecto hoc orbe lux aut tenebræ proveniunt. Nullatenus ergò ſint ſubiti, ſed cunctationem adhibeant, quo occaſio atque commoditas eis ſit perquirendi de habilitate & moribus eligendarum perſonarum. Quare NON eſt ELIGENDA PERSONA MENTIS INOPS ſive AMENS, quam naturalis lex à ſceptro arcet, cum prudentiâ Regni cuſtode deſtituatur & ratam de ſe Electio-

ctionem habere non poſſit. Nec A Vera Religione Aliena. DEUS enim ipſe in politia Iſraelitica prohibuit peregrinum diverſæ religioni addictum eligere *Deuter. XVII. v. 15.* non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus, ubi & cognatione & religionis profeſſione fratrem intelligit. Et ſi talis eligeretur magnum immineret ſinceritati religionis & cultus divini periculum, dum enim obtinent imperium in corpora & facultates ſubditorum, etiam conſcientiis ipſorum ſæpiuſculè dominari ſatagunt. Nec eligenda eſt perſona quæ Vitæ Turpitudine Inquinata Est, Et Sine Dedecore Ruboreque In Publicum Prodire Non Audet.

Theſ. XXVII.

Eligenda potius eſt Persona Sinceræ Religioni Addicta, mirum enim quantoperè animus eorum flagret ſtudio tuendæ religionis, eligenda eſt perſona Variis Scientiis & Artibus Imbuta Adeoque Virtuosa. Si enim ad vitia inclinet Magiſtratus ſummus, non ipſe tantùm proh! concipit iſta, ſed in civitatem infundit. Antiochi cœcam & amentem luxuriam imitatur exercitus *Valer. Max. Lib. IX. c. 1.* Andronici inceſtum ſequuntur ſubditi. *Nicet. Lib. III.* Hinc apud Perſas non ſine cauſâ conſtitutum fuit, ut Regibus regnare non liceret, niſi familiariter cum Magis Sapientibus verſati, ipſorumque diſciplinâ imbuti eſſent, ut refert *Philo in explicat. Decal.*

Theſ. XXVIII.

Cyrus apud Xenophontem præclarè dicebat. Imperium nemini convenire, qui quibus imperat, melior non ſit: & Alphonſus Arragonum Rex potentiſſimus dictitabat, eos demum Principes magnifaciendos, qui virtutem probè excolerent: quippe in quo virtus fuerit, ejus imperium æquo omnes animo patiuntur, illiusque moderationi ſæpè etiam ſpontè ſubjiciuntur. Ita juſtitia Ariſtidis, *Plutarch. in Ariſt.* Fortitudo Alexandri, *Curtius*, Temperantia Julii Cæſaris, *Sveton. in Cæſ.* Liberalitas Cyri, *Xenophon. in Cyr. Pæd.* Pietas Joſuæ, *II. Reg. XXII.* imperium exornavit. Econtrario vitia Imperantibus maculam non facilè eluendam inferre ſolent. Ita impietas Cambyſen. *Fulgent. L. I.* injuſtitia Caligulam. *Sveton. in Calig.* Ignavia Xerxen *Plutarch. in Themiſt.* ebrietas & luxus

luxus Sardanapalum, avaritia Phocam & Selevcum Philopatorem, *Diet. p. 52. & 113.* voluptas Niniam idem *Brev. hiſt. p. 39.* crudelitas Michael. Balbum *id. p. 119.* ſic conſpurcavit, ut illi omnes toti mundo exoſi ſint redditi & tetris paſſim epithetis depicti *vid. Prætor. Canon. Polit. Diſput. II. & quid. VIII.*

Theſ. XXIX.

Nunc ſubjungenda venit ætas, quâ perſona eligenda eſt, optimâ quidem ratione nititur publicos honores ante 25. ætatis annum non conferri, juvenibus enim nec animus rebus gerendis concalluit, nec ætas uſum dedit bene ſvadendi, quippe ingenita eſt illi ætati imperitia, utpote rerum omnium inexpertæ, nihilo tamen minus exempla atteſtantur, maximis imperiis & regnis quosdam fuiſſe præfectos in primâ ætate, cum enim virtus omnibus gentibus ætatem legitimam faciat, nulla ætas repudianda eſt. Henricus IV. Imperator cum eſſet annorum octo adminiſtravit regnum. Leo IV. infans adſciſcitur in imperium, inde Porphyrogenitus dictus eſt. Valentinianus II. quadrimus puer imperii ſceptra accipit. *Dieter. Brev. hiſt. p. 100.* Aſarias anno ætatis 16. regno admovetur *idem p. 26.* Salomon duodecennis Regno potitus dijudicavit controverſiam illam inter duas mulieres *III. Reg. III. 24.* De Alexandr. Severo Herodian. *Lib. VI. in fin.* Milites Alexandrum Imperatorem conſalutatum in aulam Palatinam deduxerunt adoleſcentulum admodum, & adhuc aviæ præceptis obtemperantem. Hæc jam ſufficiant: Sequuntur

COROLLARIA.

I.

Hoſtienſis vult jus eligendi Electoribus competere, ut ſingulis, non ut collegio, hoc ſi verum eſt, utique omnium Electorum neceſſarius conſenſus in unâ eâdemque perſonâ, ut concurreret, requireretur. Et vel uno in contrariam abeunte ſententiam totus annihilaretur actus.

II.

Q. An Elector abſens Legato ſuo ad certam perſonam eligendam mandatum dare poſſit?

III.

Lymn. Lib. II. de jur. publ. Imperii Rom. c 3. hæc adducit

Electio intra triginta dies à die præſtiti juramenti perficienda, quam ſi diutius Electores protraxerint, tum panem pro cibo & aquam pro potu habebunt, quæ alimentorum lautiorum detractio his loco pœnæ asſcripta eſt. Sed qui conveniunt hæc cum electione Conradi Saliqui, Imperatoris ex familia Franconica, quem Electores diſſentientes poſt biennium demùm confirmarunt.

IV.

Aſſerit nonnemo, non abſurdum eſſe, dari aliquem, qui ſit ſervilis ingenii, ubi locum habet ſucceſſio; Q. an inde ſtatim ſervus dicendus ſit?

V.

Q. An, ſi Fœmina ad Regnum & Imperium admovetur, illud imperium ſit contra naturam?

Non genus, aut proavus ZIEGLERUS, *lumina jactat.*
Doctrinâ fulget. Luminis idq; ſat eſt.

Nobiliſſimo Dn. ZIEGLERO feliciſſimos in ſtudiis progreſſus ulteriores precari, ſuumque amorem teſtari ita voluit

Joh. Ern. Gerhardus D. & P.P.

DU ſchickſt dich in die Zeit. Denn gleich itzt da man wehlet
Ein Haupt im Römſchen Reich / und nun den vierdten zehlet
Der Ferdinanden; gleich da biſt auch du bereit
Zu ſchreiben von der Wahl. Du ſchickſt dich wohl zur Zeit.

Diß wenige ſchriebe ſeinem ſonderlich geliebten Freunde glückwündſchend

Wolff Friederich von Drachenfelß.

FINIS.